

1416, febbraio 9, Chambéry

In nomine sancte et individue Trinitatis feliciter amen. Sigismundus, Dei gracia Romanorum rex semper augustus ac Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Servie, | Gallicie, Lodomerie, Comanie Bulgarieque rex ac marchio Brandeburgensis nec non Bohemie ac Lucemburgensis heres. Ad perpetuam rei memoriam illustri principi Amedeo duci Sabaudiae consanguineo nostro carissimo | et fideli dilecto gratiam regiam et omne bonum. Sceptrygera regie dignitatis sublimitas sicut inferioribus potestatibus officii et auctoritatis elacione preferitur ut commisso sibi fideles optate gubernet consolacionis presidio quo tronus regius | tanto solidetur felicius ac uberiori prosperitate proficiat quanto indeficientis sue virtutis donaria largiri benignitatis munere copiosius fuderit in subiectos sic a coruscante splendore regalis solii, nobilitates alie velud e sole radii prodeutes | fidelium status et condiciones illustrant, quod prime lucis integritas minorati luminis detrimenta non patitur imo amplioris utique scintillantantis iubaris expectato decore perfunditur dum in circuitu sedis auguste illustrium et magnificorum virorum numerus ad Imperii Sacri decorem feliciter adaugetur; sane dum antiquate prosapie tue nobilitatem preclara ac fidelissima progenitorum tuorum multiplicium virtutum probitatumque merita mentis constanciam ac indefessi laboris sollicitudinem quibus | serenissimos et invictissimos principes dive memorie Romanorum imperatores et reges nostros predecessores signanter autem serenissimos principes quondam Henricum septimum proavum et [Karo]lum quartum Romanorum imperatores regem Bohemie, | dominum et genitorem nostros carissimos ac Sacrum Romanum Imperium exacta diligentia semper honorare studuerunt quemadmodum ex diversis privilegiis eisdem tuis parentibus et presertim per prefatos proavum et genitorem nostros progenitoribus tuis supradictis datis collegimus ac evidenter cognovimus in examen proinde racionis deducimus; dum et innatam illam et approbatam fidelitatis tue promptitudinem, eminentem legalitatis industriam, aliarum quoque multarum insignia | virtutum, super quibus in conspectu maiestatis nostre regie tum multorum fidedigno testimonio commendaris, tum et enim ipsa rerum omnium magistra experientia approbatus existis, attenta mente revolvimus, dumque grata plurimum et | accepta servitorum tuorum obsequia, quibus nobis, et Imperio predicto, tam prompte quam effectualiter benevoleque placuisti, sollicitis studiis cottidie places et in antea quidem tanto fervencius et utilius placere poteris ac debebis, quanto te excellenciora | amplioraque dignitatum et honorum beneficia et antidota cognoveris a nostro culmine et sacro Imperio suscepisse pia consideracione pensamus ; ad ea utique maiestas nostra benignis inclinatur affectibus que tuum tocisque domus tue status | exaltacionem et honorem concernunt pariter, et profectum. Horum itaque meritorum tuorum intuitu te Amedeum principem et consanguineum nostrum dilectum, non per errorem, aut improvide, sed animo deliberato, proprii que nostri motus instinctu, sano eciam principum, comitum, baronum, nobilum, procerum, et

fideliū nostrorū accedente consilio, de certa nostra scientia, ac de romane regie potestatis plenitudine, hodie, in nomine Domini Salvatoris nostri, a quo omnis | honor, principatus, et nobilitas provenire noscuntur, in verum principem, et ducem illustravimus, ereximus, creavimus et sublimavimus, illustramus, erigimus, creamus, sublimamus et | tenore presencium in, et sub diademate, et apparatu nostro regio, et imperiali prout in talibus moris est, solempniter, et presencialiter decoramus; decernentes exspresso et edicto romano regio et imperiali statuentes quod tu, heredes legitimi naturales et successores tui duces Sabaudie, perpetuo omni preheminentia, dignitate, nobilitate, iure, potestate, libertate, honoribus et consuetudinibus continuo gaudere debeatis et perfrui quibus ceteri Imperii Sacri principes et signanter illustres duces freti sunt hactenus, et quomodolibet potiuntur; comitatum quoque tuum Sabaudie et civitates, castra, municiones, opida, villas, districtus, montes, colles et plana, cum omnibus silvis, rubetis, pratis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, lacubus, piscinis, piscaturis, theloneis, iudiciis, bannis, sive inhibitionibus, venacionibus, censibus, redditibus, accusationibus et penis inde sequentibus, de consuetudine vel de iure, baronibus, baroniis, feudis, feudatariis, vassallis, vassallariis, militibus, clientibus, iudicibus, civibus, nobilibus et plebeis, rusticis, agricolis, pauperibus et divitibus et omnibus eorum pertinentiis, eomodo, dumtaxat, sicut et quemadmodum per divos predecessores nostros, territorium huiusmodi in, et sub metis ac | limitibus antiquis in comitatum Sabaudie creatum fuit, et erectum et sicut predicta et eorum quodlibet latitudo predicti comitatus comprehendit; salvis tamen ecclesiastica libertate, et omnium aliorum iure, in verum et perpetuum principatum, et ducatum Sabaudie erigimus, et insignimus, et de predictae romane regie potestatis plenitudine decoramus tibi illustri principi Amedeo duci Sabaudie predicto, ducatum, sive principatum Sabaudie supradictum, cum omnibus nobilibus, hominibus, iuribus, privilegiis, emunitatibus, preheminentiis, honoribus, immunitatibus, pertinentiis, mero et mixto imperio, gladii potestate, ac iurisdictione omnimoda, quemadmodum ducatus, seu | principatus insignes ab illustribus sacrosancti Romani Imperii ducibus vel principibus possidentur, sive tenentur sive possideri consueverunt hactenus et in quantum a Sacro Romano Imperio in feudum dependent de benignitate regia | conferentes, decernimus eciam, et hoc edicali constitutione sanctimus, quod tu, heredes et successores tui perpetuo duces Sabaudie appellari, et nominari in antea debeatis, et tamquam ceteri Imperii sacri duces, et principes teneri et | honorari, et ubique ad omnibus reputari, omnique iure, privilegio, honore<sup>(a)</sup>, gracia et dignitate et emunitate absque impedimento perfrui, quibus alii sacrosancti Romani Imperii duces et principes, in dandis seu recipiendis | iuribus, et conferendis seu suscipiendis feudis, et omnibus aliis illustrem statum et condicionem ducum seu principum concernentibus, freti sunt hactenus, seu quomodo libet potiuntur. Decernimus eciam, et volumus, ac regali edicto | duximus perpetuo statuendum, quod tu, heredes et successores tui duces Sabaudie ducatum seu principatum Sabaudie predictum cum omnibus suis pertinentiis sicut

expressatur superius a nobis, nec non a nostris successoribus imperatoribus, seu regibus romanis, et ab ipso Romano Imperio, tociens quociens opportunum fuerit, debite solemnitate honore, et cum vexillis ut moris est, et solita reverencia suscipere debeatis, nobisque ac eisdem successoribus nostris, in casibus premissis, sicut alii imperiales duces et principes, prestare et facere fidelitatis homagii, obediencie et subiectionis debita corporalia iuramenta, et nullo modo, vel tempore ecclesiis vel prelatis et ceteris personis ecclesiasticis in dicto ducatu olim comitatu Sabaudie appellato, quoquomodo adversari, nec de bonis et iuribus ecclesiasticis que ob reverenciam Dei et sanctorum eius, salva semper, et illesa, persistere volumus, te ingerere, neque alium seu alios quoscumque permittere, sed ipsos caritative tractare, ac illesos undique pro posse custodire; et quod in dicto ducatu Sabaudie pacem, et iusticiam omnibus, et singulis eque pauperibus, et divitibus, procurare, facere, et administrare velis, et debeas efficaciter iuxta posse. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostre illustracionis, erectionis, sublimacionis, creacionis, decoracionis, collacionis, seu decreti paginam infringere, seu ei quovis ausu temerario quomodolibet contraire; si quis autem secus attemptare presumerit, preter indignacionem nostram, gravissimam penam mille marcharum auri purissimi tociens quociens contractum fuerit, se noverit irremissibiliter incursum, quarum medietatem regalis nostri erarii sive fisci, residuam vero parte supradicti ducis, heredum et successorum suorum usibus decrevimus applicari. Presencium sub nostre maiestatis sigilla appensa testimonio litterarum. Datum Chamberiaci, Gracionopolitanis diocesis, anno a nativitate Domini millesimo quodringentesimo sextodecimo, die nono mensis februarii, regnorum nostrorum anno Hungarie et cetera vigesimonono, Romane electionis sexto, coronacionis vero secundo.

(S.P.)